

1875

C O D I C E S

1876

tus continet Theologi cujusdam Catholici Confilium de repurganda Ecclesia, Mediisque Concordiae, quod Tituli loco ita init: *Quum plerique infoelici hoc nostro Seculo sacrosanctae Ecclesiae antiquitatem, maiestatem, auctoritatem simul atque unitatem, tum propter certos abusos, superstitiones, et alia id genus zizania, quae in eandem irrepsisse uix negari potest; tum etiam propter Ecclesiasticorum uitia, quae et ipsa dissimulari nequeunt, ita impugnent, extenuent, ac misere dilacerent, ut ne dum ipsimet ab eadem in grauiissimum animarum suarum exitium temere recedant; sed et incautum uulgus ex eiusdem unitate in loca plane deserta seducant. Quamobrem uisum est ex multis pauca proferre, quid de hac salutifera Ecclesia, tam sacra scriptura, quam denique sacri Canones, nec non Orthodoxi Patres, atque ecclesiasticae Historiae passim perhibeant testenturque. Itaque Abusus reformandos, corrigendamque Hominum sacrorum uivendi licentiam solide, docteque urget Noster, qui aut *Frid. Nausea*, aut *Ge. Wicelius*, aut *Frid. Staphylus* fit, ut jam ad Cod. CCCCLIX. conieciavi. Post Confessionem certe *Augustanam* et *Wirtembergensem*, quas citat, scripsit. Quae porro in votis habet, diu ante se optasse ait *Bernardum*, *Alv. Pelagium*, *Cardinalem Camerac.* Petrum uidelicet de *Alliaco*, *Card. Cusa-**

num, Nicol. de Clemangis et christianissimum Gersonem.

CCCCLXXII.

Codex chartaceus lat. germ. 546
Sec. XVI. Folior. 36. 4. haec complectitur: I. Tractatum quendam Polemicum, qui incipit: *Cum te Petre, quem mihi charissimum in Christo fratrem optarem, nisi deuia tua a uero catholico sensu in multis probiberet doctrina, audiuissem hic tam in Arce quam domi meae coram multis astantibus de quibusdam religionis nostrae christiana articulis satis erudite ac modeste differentem &c.* Agitur de quibusdam Propositionibus, quas Petrus iste se scripsisse aduersus maniam et sordes Antichristi, uidelicet Pontificis Rom. in earum Titulo adfirmabat, quasque Noster magna cum moderatione, decoroque non passim obvio refellere aggredditur. Quis uero is, quis Petrus, quae Arx illa, ignorare me fateor; neque enim Tractatus, quem imperfectum destituit Librarius, plus lucis adfundit, quam Petrum Scripta sua Hebraicis, Graecisque flosculis conspersisse; ad quae Noster: *nec grece aut hebraice tibi respondebo tum quia in his non fui tantum uersatus, ut sententias dicere aut conscribere linguis illis ualeam. Inter Doctores namque Scholasticos scholastice semper et haec et huiusmodi tractare fui consuetus. — Laboraui, ut literas graecas*

1877

P O L E M I C I.

1878

græcas uel elementa saltem adeo nossem, ut ope Dictionarij quantum pro parua re satis esset, comprehendere possem. In Hebreis autem minus profeci, quia in tot meis peregrinationibus præceptore carui. Magno haec candore. In Patribus citandis addit, se parui Erasmi censuras fecisse, quandoquidem uetustiores opuscula pleraque ab eo reiecta tanquam partus præditorum patrum legitimos agnouerunt. Videant Literati, num ex his in Autoris notitiam perueniri queat.

II. fol. 18. Erhardi Snepfii Heilbrunens. Theologi Protestantis Scriptum Germanicum contra Casp. Schwenckfeldium negantem realem Christi in Eucharistia praesentiam, cujus prolixus Titulus incipit: *Wider Caspar Schwenckfeldts Irrthumb vom hochwürdigem Sacrament, da er in der handlung des berrn Nachtmals nur ein gäistlich essen vnnnd trinckben des flaisch vnd bluts Christi, vnnnd darnach ain Eucharistia vnnnd dannckhsagung, So bei dem blossen lehren brott vnnnd wein des Nachtmabl gehalten machet.* — *authore Domino Doctore sneppio.* Non inuenio Scriptum istud, quod Autor etiam contra Zwinglianos dirigit, inter Opera Ejus a Bibliographis enumerata. Obiit Snepfius a. 1558. dum post varias vices Jenae cathedram Theologicam teneret.

III. fol. 29. Consilia Georgij Vuicelij Senioris (Patris) Super Concilio, Colloquio et Conuentu Episcopali Ratisponæ. Super fin-

Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

gulis his separatim mentem suam aperit Vir confiliorum ferax. Concilium dissuadet. Colloquio adponit conditiones. Conuentus Episcopales urget. Omnia lectu digna, neque inter numerosa Nostri Scripta typis, ut putem, prodita. De Concilio sic orditur: *Etsi Concilium generale omnino Via erat ordinaria ad id negotij, tamen quia isthuc nemo non vel nimis sero vel nunquam futurum auguratur, imprudenter eligitur adeoque ex desperato, ut nonnulli existimant, postulatur, quandoquidem interea dum expectatur, aduersarij reliquias suæ factioni tam arte, quam ense subijcient &c.* Confilium de Colloquio, quod in margine partim 22. Dec. 1556. partim 8. Jan. 1557. scriptum fuisse dicitur, incipit: *Qui colloquendi Viam præeligunt, Concilij fere vel odio vel formidine ducuntur, præterea spe aliqua victoria &c.* Suadet hic inter alia, ut Collocutionis Summa Papæ Paulo Quarto cognoscenda tradatur, quantumlibet ille his tempestatibus Apostolico munere non usque adeo fungitur: *alienisque vacat rebus. Id quod etsi dissimulari non potest, honoranda tamen est et Successio et Sessio.* Initium Confilii de Conuentu Episcopali: *Eccliesiarum Præfecti a Rege et Sæcularitate reformari atque emendari recusant. Respondeo: Quin ipsi ergo sese reforment ac emendent. Nec putent differendum negocium esse, dum Pontif. Ro. euigilet &c.* Jam dixi Scriptum lectionis non poenitendæ.

U u CCCCLXXIII.